



## **Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten**

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere  
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen  
Verhältnisse]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1843**

LIX. Bernhard und Albrecht, Grafen von Dannenberg, beurkunden den mit  
der Stadt Lübeck unter vierzehntägiger Aufständungsfrist  
abgeschlossenen Waffenstillstand, welchen sie bis zu persönlicher ...

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

**LIX.** Bernhard und Albrecht, Grafen von Dannenberg, bekrunden den mit der Stadt Lübeck unter vierzehntägiger Aufkündigungsfrist abgeschlossenen Waffenstillstand, welchen sie bis zu persönlicher Rücksprache mit den Markgrafen zu halten gedenken, im Mai 1253.

Bernhardus et Albertus, dei gratia Comites in Dannenburg, Consulibus ac communitati Ciuitatis Lvbicensis cum beniuolo affectu salutem in domino. Mandatum dominorum nostrorum, Marchionum de Brandenburg, recepimus in hac forma, ut treugas vobiscum seruemus ad tempus. Quorum precibus ac mandato in omnibus cupientes anuere, vobis intimamus, quod treugas vobiscum libenti seruabimus animo, ita ut interim burgenses vestre Ciuitatis libere et absque omni impedimento vbicumque voluerint negociis suis peragendis, nullo a nobis aut a nostris habito timore, valeant euagari: quas tam diu inuolabiler intendimus obseruare, quousque dominis nostris Marchionibus personaliter super eo loquamur, et ipsas treugas nostris litteris patentibus nos retractare contingat. Petimus igitur, ut interim ciues nostrarum Ciuitatum eadem libertate gaudeant a vobis ac a vestris, et plenum habeant ducatum ad ciuitatem vestram eundi et redeundi pro suis mercimoniis exercendis. Ceterum decreuimus, dum sepedictas treugas retractari contingit, quod ipse treuge post hoc ad XIII<sup>m</sup> dies ex vtraque parte inuolante teneantur, vt medio tempore ciues vestre Ciuitatis cum bonis suis, et nostrarum Ciuitatum similiter ad propria redire valeant indempnes. Vt autem treuge prelibate, omni subtilitate exclusa, ex parte nostra et nostrorum inuolabiler obseruentur, presentem paginam in sufficiens testimonium sigilli nostri appensione fecimus roborari. Datum anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LIII<sup>o</sup>., Mense Maio.

Aus der Lübeckischen Urkunden-Sammlung I, Nr. CXCv.

**LX.** Paps Innocenz IV. genehmigt auf Bitten des Markgrafen von Meissen die Vermählung seines Sohnes Dieterich mit der Prinzessin Agnes von Brandenburg, am 15. Juli 1253.

Innocentius etc. Theodorico, nato nobilis uiri marchionis Misnensis. Etsi coniunctio copule conjugalis in quarta consanguinitatis uel affinitatis linea sacris sit canonibus interdicta etc. Cum igitur, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, nobilem puellam Agnetam, natam nobilis uiri marchionis Brandenburgensis, cum qua iam contraxisti sponsalia, ducere pro pace inter parentes uestros reformanda desideres in uxorem, nos dilecti filii nobilis Viri marchionis Misnensis patris tui precibus inclinati, ut eandem puellam, non obstante, quod quarto gradu consanguinitatis uobis ad inuicem attinetis, matrimonialiter tibi copulare ualeas, tecum auctoritate presentium dispensamus. Nulli igitur nostre dispositioni etc. Datum Assisii, Idibus Iulii, anno Decimo primo.

Nach einer Abschrift aus dem Vaticanischen Ges. Archive Epist. Innoc. IV. Epist. Ann. XI. Nr. 76.